

fuit semper imbecillitas maior. Non autem percipit ægritudinem, sed impedimenta actionum. Et ita tandem concludimus esse in membris naturalibus, præcipuè frigiditatem & siccitatem, essentialiter existentem in ventriculo, ad quam multiplicatur humor pituitosus.

Prognost. Si fuerit vna intemperies sola in aliquo, est curabilis quidem: si autem duæ sunt complicatæ, incurabiles efficientur. Longè autem facilius est exiccare humidum, quàm humectare siccum; & præferim in ventriculo, qui est membranosus. Poterit igitur præseruari, non autem curari absolutè.

Cura. Quantum ad præseruationem, quia curari non potest, lapsus tamen hepatis calidus, poterit facilius emendari. Pro huius igitur alteratione curam habere debemus, circa ratione victus: Si enim ea vtatur debito modo, facile reducetur ad temperamentum, si dimittet videlicet illa calefacientia, & adurentia. Vtatur cibus iis, qui sunt facilis concoctionis, vt sunt pulli, aniculae, iuscula, quæ tamen non sint nimis pingua. In hac re dubium magnum. Ex quo præter omnem suam consuetudinem incæpit, vt bibat vinum, vtrum debeat redire ad aquam. Vtrinque sunt rationes: Quia dum biberet aqua, bene se habuit: dum biberet vinum, semper malè. Habet præterea hepar calidum, vnde plurimi ascendunt vapores ad caput, & fit debilis ille motus, & alteratur ab aqua temperatura hepatis. Ex altera parte est debilitas ventriculi, qui adhuc magis refrigeratur. Et quia eam quatuor annis bibit, & est assuetus, ego nollem vt biberet vinum tale, quale hætenus bibit, sed tale quale Galenus exhibuit suis ægris, quod est maximè limphatum, clarum, & tamen minimè astringens. Fiat præterea bolus ex hieræ ʒ. j. casisæ ʒ. vj. & exhibeatur alternis diebus, vel semel in septimana. Ab aliis medicinis omnibus, syrupis, & potionibus abstinere vellem.

CONSILIVM CCII.

De stomachi anxietate, & morbo Gallico pro sexagenario, Anno 1550. 18. Marty in colloquio.



LARIS. Doctores, vt conueniamus in ratione exhibendi remedia, quibus sanitatem huius viri restitueremur, cum audio E. vest. animu suum ad hoc inclinare, vt sumat decoctum ligni, in quo & ipse totam spem curationis ponit: ego quoq; confido, quod hoc solo decocto curabitur, debito modo assumpto. Vt igitur quod conclusum est, à me ratione ostèdatur, oportet primò de ægritudine loqui. Laborat autem iste magnificus vir duabus dispositionib. præter naturam: vna est morbus Gallicus, qui licet videatur delitescere, semper tamen eius aliqua vestigia se ostendunt. Sed illud præcipuum, de quo conqueritur, est affectio ventriculi, post enim assumptum cibum patitur stomachicam passionem, & anxietatem. De qua re, vt par est, cum maximè sit sollicitus, petit à nobis auxiliu. De vtriusq; verò affectibus agendū. De morbo Gallico nihil aliud dicam, cum cõstet

A quas causas habeat. Loquendum igitur tatum de dispositione ventriculi, vnde possit fieri. Duo igitur hic sunt quærenda, primò in quo loco ventriculi videatur esse affectus, an circa os ventriculi, an circa fundu eius. Secundo quis affectus sit, qui morbum ipsum faciat, vtrum mala complexio, an mala compositio, vel soluta vnitas. Ista sunt consideranda à me, si secundum ratione debeo concludere quid illi conueniat. Dicam vnū, cum considero omnia quæcunq; audiui recitata, tum ab ipso, tum ab excell. vest. & omnia simul confero, videtur mihi, quod primò locus proprius, vbi sit affectus principalis, nequaquam sit os ventriculi, imò quantum in seipso est, bene valeat: & si patitur aliquid, patitur potius per consensum. Credo ergo affectum esse circa fundum ventriculi, & dicam coniecturas, quare ita sentiã. Deinde credo circa fundum non esse malam compositione, neque obstructionem, neque aliud quod possit referri ad malam compositionem principaliter, sed quod mala complexio ibi existat. Quæ nã illa? Nam primò videtur, si nos referimus causam istius intemperiei ad frigiditatem principaliter, hoc non posse ita sustineri. Video enim quod laborat in concoctione, & maximam habet anxietatem, nihilominus bene nutritur, generat bonum sanguinem, quia habet bonum colore, non multiplicantur humores crudi, non conqueritur de aliqua re, propter quæ aggregentur cruditates. Hoc autem est perpetuum Galeni. teste, vbi prima concoctio in ventriculo propter frigiditatem non potest perfici omnino, quod non emedetur in secunda, quæ fit in hepate etiã bene disposito. Cum igitur videam in hoc corpore generari sanguinem laudabilem, sanitatè commodam, & plus quàm huic ætati conueniat, non dixerim frigiditatem esse principaliter in ventriculo, ratione cuius hæc incommoda sequuntur: quia videtur rationi consentaneu, quod plurimi crudi humores deberent generari propter frigiditatem, præcipuè cum videamus hoc proprium non adesse, videlicet quod infeliciter concoquat, nam statim facies decolorata ostenderet affectionem ventriculi. Ergo per ea inuestigari oportet, vtrum sit aliqua alia intemperies causa huius affectus, præter frigiditatè. Inclino animu ad hoc intemperiem esse principalem causam huius affectus, eamq; esse humidam circa fundum ventriculi. Affero huius rationem, quod humiditas peccet, non ita tamen, vt non consequatur frigiditas illam humiditatem: humiditas enim obtundit caliditatem. Quod signum est, quod humiditas causa sit? quoniam humiditas ipsa hoc facit, vt ventriculus non possit bene amplecti, nec continere cibum, sicut oportet. nam ad bonu amplexum requiritur siccitas moderata: huius enim est cõstringere, sicut humiditatis superflua relaxare. Vnde habes hoc: ab anxietate, quæ ipse dicit se sentire: percipit enim grauitatem post cibum, & ait se non posse tolerare cibum, postquam eum assumpsit, non est quod tardè concoquat, sed grauat quod malè fertur onus. Est ergo illud Galeni 3. de causis symptomatum, vbi loquitur de ista molestia in concoctione, quando cibum malè fertur in ventriculo, & dicit ibi causam esse immediatam,